



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

**Montmorency, François de
Antverpiae, 1638**

Somnium. ex cap. 37. Genes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

SOMNIVM IDYLLION

A R G V M E N T V M.

Dum pasceret gregem vnà cum fratribus fuit
 IOSEPH adhuc puer, plus ceteris à patre di-
 lectus; visum sibi somnium candidè & sim-
 pliciter retulit. Quæ causa maioris odij se-
 minarium fuit apud fratres inuidos. Hæc
 Ecloga, Theocriteo est & tenui caractere.

R V B E N.

M *Arè nouo, nobis nouus hic quoque sit
 labor agnas
 Impressis signare notis, & inuere
 tonso*

*Nomina nostra gregi. Paruus mihi discat
 Ioseph,
 Depulsos à lacte recens, inscribere fetus.*

D A N.

*Huic manda, si quid curatum nauiter optas.
 Cernis ut in musco iaceat, securus ouilis?
 Vespere quid faciet, cessat si manè remissus?*

I O S E P H.

*Parcius ista tuo, frater, tamen obijce fratri
 Si nescis, animo non me finit esse remisso
 Cura grauis. Numquàmne tibi dant somnia
 curam?*

DAN.

D A N.

*Ne mihi dent, caueo. Tu desidiosus in umbrâ
Somnia vana foues. Ego sedulus otia vito.*

I O S E P H.

*Non ego (quod reris) sequor otia : sed mihi
presens*

*Heret adhuc vigili semperque recurſat imago
Quæ fuit in ſomnis immiſſa. Quis obtulit illam,
An ſopor, an certè Superi? dum ſingula narro,
Vos animis (res eſt non parua) reponite veſtris.*

*Panè ſub Auroram dubiaque crepuſcula
noctis,*

Cùm minùs aſtringunt leniores lumina ſomni;

Nos ego biſſenos vidi per ſomnia fratres

Triticea curuam ſegeti ſupponere falcem.

Omnibus abiecta tunica: pat omnibus ardor

(Tamquam ſuſceptum nobis mercede diurnâ

Eſſet opus) ferro denſos proſternere culmos.

Campus erat, plenoque ſeges latiffima campo.

*Ut meminiffe iuuat? quis erat mihi ludus,
aceruos*

Stringere demeſſi per lata noualia farris?

Sed noua ſubiecit res prodigioſa ſtuporem.

Namque meus reliquos inter conſurgere merges

Viſus, & huic cultum veſtri deſerre manipuli

Humano velut ingenio. Sic corpore proni

Numen adoramus ſacram reuerenter ad aram.

X 3

Indole

Indole regali merges meus ire sub auras
 Gaudebat, caloque caput sublime ferebat,
 Cum mea deficiens abruptit gaudia somnus,
 Heu fugitiua nimis, volucrique simillima sum.
 Tu, Deus, hac auspex in somnia porro secunda.

D A N.

Anne erit, in fratres, puer ignauissime, regnum
 Ut teneas? sceptrone pedum mutabis eburno?
 Hoccine fallacis spondent mendacia somni?
 His adhibes, malesane, fidem? Quid vise
 iuuabunt,
 Aurea si quando miser inter somnia fias?
 En quò te pepulit patris indulgentia! fecit
 Hos animos toga versicolor, croceique cothurni.
 Hinc tibi regnandi venit, peruerse, cupido.

I O S E P H.

Quisquis ero, fortuna tibi mea seruiet omnis.
 Nunc, olim, quodcumque dabunt hac somnia
 fausti,
 Id fieri commune mihi cum fratribus opto.

D A N.

Ista tua potiùs nutritici somnia narra,
 Vespere fabellis captet si fortè soporem.